

8.47.5

*Impp. Diocletianus et Maximianus AA. Donatio.*

Filia tua non solum reverentiam, sed et subsidium vitae ut exhibeat tibi,  
rectoris provinciae auctoritate compelletur.

*PP. k. Mart. Diocletiano III et Maximiano AA consss.*

[a. 287]

8.47.6

*Idem AA. Hermogeni.*

Abdicatio, quae Graeco more ad alienandos liberos usurpabatur  
et apoceryxis dicebatur, Romanis legibus non comprobatur.

*PP. XVII k. Dec. Maximiano A. II et Ianuario consss.*

[a. 288]

8.47.7

*Idem AA. et CC. Duplianae.*

Si maritus tuus, licet militans, in patria potestate constitutus filium legitimis  
suscepit nuptus, eum in potestate avi perseverasse non ambigitur.

*S. prid. non. April. CC. consss.*

[a. 294]

8.47.8

*Idem AA. et CC. Aemiliana.*

Libertos exemplo ingenuorum filios suos post libertatem ex legitimis nuptiis  
natos in potestate habere non est prohibitum.

*S. XVI k. Mai. Sirmi CC. consss.*

[a. 294]

8.47.9

*Idem AA. et CC. Nicagorae.*

Nec filium negare cuiquam esse liberum senatus consulta de partu agnoscendo  
ac denuntiata poena, item praeiudicium edicto perpetuo propositum  
et remedium alimentorum apud praesidem maiori trimo petenti monstratum  
iure manifesto declarant.

*S. V k. Mai. Sirmi CC. consss.*

[a. 294]

8.47.10

*Imp. Constantinus A. ad Maximum pu.*

Libertati a maioribus tantum impensum est, ut patribus, quibus ius vitae  
in liberos necisque potestas olim erat permissa, eripere libertatem non licet.

*D. XV k. Iun. Thessalonicae Severo et Rufino consss.*

[a. 323]